


Exercitatio Theologica: De Jesu Christi In Deserto Cum Satana Congressu Et Reportata Ab Hoste Victoria ...


Prior :

Tiguri: Typis Davidis Gessneri, MDCCIX

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1677946652>

Band (Druck) Freier  Zugang





6

41

Fa - 1092 (41.)

2.

3.

5.

6.

7.

8.

9.

10.


11.

12.

13.

14.

15.



Sup. Matth. 11. 1. 11.

EXERCITATIO THEOLOGICA;
DE
JESU CHRISTI
IN DESERTO CUM SA-
TANA CONGRESSU ET
REPORTATA AB HOSTE
VICTORIA,
PRIOR.

Quam,

Principē Exercitūs Jehovæ faciente & favente,
Placido Examini subjicit

JOH. JACOBUS HOT-
TINGERUS,
SS. Theol. Prof.

Respondente,

JOH. CONRADO CRAMERO, V. D. M.

Assumente,

JOH. JAC. HOSPITALERO, SS. Th. Stud.
Postridie Synodi Autumnalis H. L. Q. S.

TIGURI,

Typis DAVIDIS GESSNERI,
Anno MDCCIX.



S. I.

Duplex Christi, ad publicam Officii Mediatorii administrationem, præparatio.



Itam publicam cum privata, Christus ita commutavit, ut tum solemniter in hanc provinciam introductus fuerit: Baptismo inquam; Gloriâ quam Pater illi eâ occasione dederat; & Symbolo apparentis columbæ, quò totî Ecclesiæ innotuit, apparatus donorum tanti muneris necessariorum, ei suppetere. Tum privato specimine, *ικανότης* hujus documentum præbuerit. Ut magna aggressuris solenne est, seorsim & privatim, rerum publicè gerendarum experimentum & capere & dare. Huc pertinet, *Μονομαχία* Christi, cum suo & nostro hoste, in deserto. Priore Historiâ, pro modulo gratiæ diviniæ, pronuper ventilatâ, posteriore *σὺν Ὁσῶ* pensitare suscipimus.

Historia tentati Christi *ἱστορία*.

II. Procaci nostro Seculo, non desunt Hipponactea ingenia, quibus ad ipsius Spiritûs S. dicta arrodenda, animus adedò ardet, ut primùm rerum clam gestarum, adedòque Historiæ Tentati Christi narratorem, nisi Paulo sapientior esse voluerit, de modo dubitâsse, impiè conjectare religioni non ducant. Rem ipsam in dubium vocant his verbis: *Nemo Jesum vidisse fertur adduci, aut sex septimanarum spatio scivisse ubi esset.* At Historia, communi trium Evangelistarum calculo confirmata, sine Universæ Historiæ Evangelicæ periculo, in dubium vocari nequit. *Infidelis*, nil quicquam *ἄτοπον* aut impossibile, in ea ostendet. *Fidelis*, ignorare nequit, rem totam vel à Christo, cum quo conversati sunt: Vel à Spiritu S., quo *φερόμενοι, ἄτι*, scripserunt, Apostolis suggeri potuisse. Negas omnes Evangelistarum narrationes esse *λογον πισὸν fide* & *omni Receptione dignas*, 1. Tim. 1: 5. ? *Πράγματα ἐν αὐτοῖς πεπληρωμένα*, res quarum plena Fides eis facta fuerit, Luc. 1: 1. sive ipsi, sive alii homines ea viderint? Conf. Joh. 19: 39. & 20: 29.

Tempus Tentationis.

III. His Satanæ Apostolis valere jussis, lubet oculos convertere in Christum, in arenam *descendentem*: In arena *constitutum*: Viriliter

liter certantem : & gloriosè eâ exeuntem. In præfens, priora duo :
 Posteriora, faciente Deo, aliàs excutiemus. *Descensus*, complectitur
Tempus, Personam, Professionem, Authorem, Locum, Scopum, Eventum.
 De *Tempore* S. Matth. 4: 1. *Τότε*, inquit, *tunc* : Post *Gloriam* ei
 Matth. 3: 17. à *Patre* datam. Nec majore *Intervallò* interpositò, sed
 εὐθὺς *confestim*, extemplò. *Christus, Dei Filius*, per vices, diversas
 sortes expertus est. Vix radius gloriæ divinæ eum collustrat, pro-
 tinus caligine aliquâ obscuratur. Vix detonat vox Patris, Leonem
 infernalem rugientem audit. Vix nube cœlesti & *Mosis* ac *Eliz*
 commercio recreatur, triste spectaculum pueri *σεληνιαζομένου* ei se
 offert, Math. 17: 14. Cùm paria fata membris ejus subeunda sunt,
 hoc capitis sui Exemplum memoriâ recolentes, animum recipient.
Lunæ jam similes vices experiuntur : olim instar *Solis* plenâ luce
 semper fulgebunt.

IV. *Athleta, Jesus*, Math. 4: 1. Et quidem *plenus Spiritu S.* *Athletæ;*
 Luc. 4: 1. *Jesus, Filius Dei dilectus, in quo acquiescit*, Luc. 3: 22. Huic *Jesuse.*
 in certamen descendendum. Quis sibi *ferias* promittat? Hic cum *hoste*
 concreditur. Hunc ergò *commilitonem* experitur, quisquis bonus
 cum *fero* & *ferali* *hoste* *pedem* conferre cogitur. Quis de *glorioso*
 exitu desperet? Descendit autem *Jesus* in *palæstram*, *plenus Spiritu S.*
Scriptoribus Judaicis, Spiritus S. dicuntur *dona* ejus, potissimùm ex-
 traordinaria. *Jesus* hoc *spiritu plenus* dicitur. Non *diminutioni*
 sensu, ut *S. Johannes* aliique *nostri* *Servatoris μέτοχοι* Luc. 1: 67.
 Act. 6: 5. Sed *absque mensura*, Joh. 3: 34. *Plenus* inquam, *cognitione*
voluntatis divinæ, *potentiâ* *faciendi miracula*, aliisque *donis* ad *præ-*
dicacionem & *confirmationem* *Evangelii* *necessariis*. Nimirum,
cœlestis Induperator, *armat* *primùm* *eos*, quos in *arenam* *descen-*
dere jubet. Ut *verò* nec *Talenta* *distribuuntur*, quò *terræ* *mande-*
rentur: Nec *lucerna* *accenditur*, quò *sub modio* *ponatur*: ita *Spiri-*
tûs S. *dona*, *cognitio*, *amor*, *timorque Dei*, *Fides* &c. non eò
 conferuntur, ut *occulentur*, sed ut *bonam* *decertes militiam*. Διὰ
 τῆς τοῦ ἐλαχέως ὀπλά, εἶχ' ἵνα ἀργῆς, ἀλλ' ἵνα πολεμῆς, *in eum* *finem* *acce-*
pisti arma, *non ut otieris*, sed *ut pugnes* &c. *Chrysost. in Matth. Hom. 13.*
 Et quidem eò *difficilior* *tibi* *imminet Agon*, quò *nobiliora* & *nume-*
rosiora *Deus munera* *tibi largitus* est. Quò *generosioribus* *lacertis*
instructus *es*, hòc *gnavior* & *gravior* *tibi hostis* *imminet*. *Onustus*
incedis

incedis Auro & Margaritis? Latro tibi ex insidiis expectandus: & signum est, te non contemni ut imbellem. Montacutii verba sunt Orig. Ecclesiast. I. 405.

Spiritus
Christum
agens.

V. De Professione S. Lucas, ὑπέστρεψεν, reversus est. Unde? ἀπὸ τῆς Ἰορδάνης, à Jordane. Expeditis negotiis, quorum ergò Nazarethà desertà, Jordanem petiit. Quo Authore, reversus est? τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει, Marc. I. 11. ἀνίχθη ὑπὸ τῆς πνεύματος, Math. 4: 1. ἤγατο ἐν τῷ πνεύματι, Luc. 4: 1. Agonothetes ergò & Aleipta hujus conflictus est τὸ πνεῦμα, Spiritus: per quem nec Anima Christi indigetatur: Quasi is proprio demùm motu in desertum secesserit. Ita plerasque Christi actiones ἐν πνεύματι factas dici oporteret. Nec malus Spiritus; qui ab hoc Spiritu mox discernitur: & cujus tentatio ab hoc impulsu diversa fuit. At si malus Spiritus Christum impulit, ipsa hæc suggestio, tentatio aliqua fuisset. Denique τὸ ἐν πνεύματι, ubiq; spiritum bonum, ejusque virtutem in homine connotat. Spiritum Dei in Christo habitantem: qui eum quò libuit duxit. Hinc omnes Evangelistæ commemorant τὸ πνεῦμα, cum articulo, qui h. l. ἀναφορικός, illum indigetans, quo Christus jamjam repletus, & qui nuperimè in Baptismo super eo se vibrasse dicebatur. Syrus disertè, à Spiritu S. Nempe eo, qui ratione Essentia & Subsistentia, Spiritus est ἐν δυνάμει. Porro τὸ ἐν πνεύματι, quod apud Lucam occurrit, non idem sonat, quod Apoc. I: 10. ἐγενόμενον ἐν πνεύματι. Hoc enim innuit visionem, i. e. Modum Revelationis: quòd Johannes non verè, sed κατὰ φαντασίαν viderit, quæ in Apocalypsi narrat. Lucas autem rei gesta Authorem ostendit. Ut ἐν πνεύματι (quemadmodum Hebræorum א) idem sit quod ἀπὸ, διὰ, ὑπὸ πνεύματος. Vide Eph. 2: 22. Jud. v. 20. & passim: & ἐν δυνάμει πνεύματος virtute Spiritus, Luc. 4: 11. Certamen Christus ingressus, ἐν πνεύματι. Egressus tanquam Victor, virtute Spiritus. Equidem nullus in Christo motus fuit, qui non Spiritum hunc vel Authorem vel Comitem habuerit. Extraordinaria tamen Spiritus fuit operatio, quæ Christum stimulavit, ut viam Spinis, insidiis, feris horridam calcaret. Spiritus excitat nonnunquam ad Actiones extraordinarias. Quod cum fit, tam virilem Animum inspirat, ut organa gloriae suæ, nullis minis, nullis remoris, nullâ rei difficultate superari & ab instituto dimoveri queant. Quæ heroica virtus, singulari Spiritus S. operatione insita, gemi-

geminò imprimis caractere dignoscitur. Prior est, si res quæ agitur bona sanctaque sit, & ad Gloriam ac Regnum Dei confirmandum luculenter conferat. Posterior, est in modo gerendi: si suscipiatur animo generoso, imperturbato, constanti. Qui parciore modio Spiritum S. accipiunt, neque vocationem habent similem ut Christus, nihil ejus suscipiant. Nihil sanè proficiunt.

VI. Instinctus iste Christi passivis verbis ferè exprimitur. Equidem Marcus 1:11. Spiritus, inquit, eum expellit: Ut Dominus Mellis operarios, Matth. 9: 38. Luc. 10:2. & Pastor oves Joh. 10: 4. Ut verò ei h. l. respondet ἐξάγειν, Vid. Joh. 10: 3. Ita in nostra Historia. Unde S. Lucas ἤγετο *actus est*. S. Matthæus, ἀνήχθη *Subductus est*. Uterque passivè. Adde quòd ἀνάγω vocabulum nauticum, adhibetur de navibus, cum è portu solvuntur: quod non sine impetu sit. Cl. Ligtfooto *subductus* videtur, vehementiâ visibili, quâ Spiritus S. Christum sociis eripuerit ad Jordanem, subito & externo raptu (quod etiam Cel. Gomaro aliisque placet), simili illi Act. 8: 39. Verùm ibi ἤρπασε legimus, quod non nisi de externa vi intelligi potest. Nostrâ sententiâ τὸ ἐκβάλλειν, ἄγειν, ἀνάγειν, docet, Christum stimulante & agitante Spiritu S. semitam illam ingressum. Spiritu Authore, Christum turbam ad Jordanem deseruisse. Et ideò quidem, ut in carceres à Deo jam præfixos concederet. Lucas Brugensis rectè explicat, *per Efficaciam Spiritus S. non tantum ducentis ostendendo, aut suadendo: sed & facientis, ut sancti, & inter ceteros Jesus, ut homo, id quod Spiritus suggerit, faciant non inviti, sed hilares & alacres.* Diabolum Christus non provocavit: non missis literis fecialibus eum adoritur: nec tamen sponte irruentem fugit, sed Dei nutu immissum, fortiter excipit & feliciter prosternit. Certamina non sponte occupanda, neque hostis præfractè laceffendus. Nec tamen detrectanda pugna, quum & quoties summus Imperator jusserit. Filii Cephæ, alique, ædilitatem sine suffragio gestantes, malè à spiritu malo excepti. Apostoli verò ubique triumphârunt: quia Authoritate Christi eum aggressi. *Ἐαυτοὺς ἐκ ἐπιπηδᾶν χερῶν, ἀλλ' ἐλκομένους ἰσάνου γενναίως, Chrysof. Hom. 13.*

VII. Qui τὸ ἀνάγω ab ἀνω *sursum*, & ἄγω derivant, innui putant, tum lordanis situm humiliorem, tum Jesum versùs montes deserti ductum, Jerosolymis propiorem factum. De his ipsi viderint.

Si in ἀνὰ rursus & ἄνω resolvas, τὸ ἀνάγνωσται respondebit verbo ὑπέ-
 σσεψεν reversus est. Indigetaturque, Christum, qui videbatur ex Ga-
 lilæa ad Jordanem venisse, ut se manifestaret & Prophetam δυνατὸν
 ἐν ἔργῳ, καὶ λόγῳ verbo & opere magnum coram Deo & omni populo,
 Luc. 24:19. gereret, denuò in secessum abivisse. Idque tum Spiritus
 S. impulsu, tum propriâ Christi voluntate factum. Tantum
 abest, ut Christus coactus & invitus id fecerit. Nihil frequentius
 est, quàm in Oeconomia salutis, easdem Actiones & Patri & Filio
 vendicari. Et notum est, omnipotente Spiritus S. operatione vo-
 luntatem hominis ita determinari, ut libertati ejus nihil decedat.
 Non invitæ vis infertur: sed gratia lubentem trahit ad ea, à quibus
 Spiritu destitutus, alienissimus est. Denique Christus nos juxta
 Chryl. Hom. 14. Παιδεύει μὴ ὁμοσε χωρεῖν τοῖς περρασμοῖς, ἀλλ' εἶπεν,
 καὶ παραχωρεῖν. Οὐ γὰρ ἔγκλημα μὴ ῥίπτειν ἑαυτὸν εἰς κίνδυνον, ἀλλὰ
 τὸν ἔμπεσον(α, μὴ σῆσαι γενναίως.

Desertum
 quod Chri-
 stus ingres-
 sus.

VIII. Ἀγωνιστήριον, Palastra, unâ omnium Evangelistarum
 voce, fuit desertum. Non illud (si Ligtfootus feliciter conjicit,)
 Judæa, in quo Johannes prædicavit, Matth. 3: 1. Sed Judæa Jos. 15: 61.
 Ps. 63: 1. quod 1. Sam. 24: 1. Engeddi dicitur: Propè à rupe quæ
 Hirci Hazazelis, eidem Viro Doctissimo, conjecturâ æquè dubiâ,
 nuncupatur. Ambitu hujus deserti comprehendebatur oppidum En-
 geddi, si Adrichomio fides est, situm in montibus, quorum horrida
 sanè & admiranda dispositio. Nam cum altissimi intus & ipse rupes
 præruptæ promineant & quasi ruinam minentur; ita transeuntes pertur-
 bant, dum sibi quisque timet, ne in se & subjectas valles concidant. Sed
 conjecturis otium & operam ludere nihil juvat. Frivoli verò sunt,
 qui, veluti luctæ interfuissent, definiunt, eam illo loco peractam,
 qui hodie Quarantania vocitatur, duobus à Jerichunte milliaribus.
 Meritò hi Doctiff. Mantacutio Orig. Ecclesiast. 1. 413. vapulant. Alii
 aliter. Equidem nec Eremus, in qua Johannes baptizabat, nec En-
 gadditica populosis oppidis carebat. Christus autem, sive hujus sive
 illius deserti, partes petiit interiores, solitudines ab hominibus remo-
 tiores, incultas, rupibus, sylvis, ferarum frequentiam horridas, tenta-
 tioni opportunas: de quo vid. S. 13.

Locis oppor-
 tunis.

IX. Heic videlicet Christus precibus & jejuniis ad Ministerium
 publicum se præparaturus, simul se munivit adversus insultus hostis,
 cujus

cujus consilia eum non amplius latere poterant. Non tantum quia locus erat *ἀετος*, à convictu hominum semotus, in qualia loca qui se recipit, Satanam (ut fera in casses incidens, venatorem,) experitur adversarium. Sed etiam quia adversarius, ex loci squalore, & Christi in eo mora, opportunitatem Christi adoriundi sibi promiserat. Notabilis de hac re tergeminus typus. *Adami*. Quod enim ad perennandam humani generis felicitatem, in Adami constantia haud parum situm esset, Adamus ab hoste non tutus fuit: neque hosti, Protoplastos, omnibus rebus abundantes, & in loco suavissimo degentes, seducendi argumentum & occasio defuit. Quid unicus salutis nostrae amissae Reparator, in deserto vastissimo, in omnium rerum penuria, sibi promississet? Quantò facilius adversario erat, argumentum aliquod tentationis reperire? *Samsonis*. Qui Spiritu plenus primum roboris specimen edidit in Leone obviam sibi facto discerpendo, nesciis familiaribus suis. *Davidis*. In Engadditico aliisque desertis, antequam sceptrum capefferet, à Saule iniquissime exagitati. Denique *deserta* quidem loca in Sacris, Hieroglyphica fuere non tantum *Gentilium*, ad quos Christus verbum suum per Apostolos missurus erat: Sed etiam Ecclesiae *Judaicae*, instar horti & Paradisi Dei, Prophetarum sudore excultae, attamen Christi aëro sterilis, pietatis & veritatis studio destitutae. *Tentatio* autem, quae Christo in deserto obtigit, praeludium aliquod fuit, fortis Christo inter Judaeos experiundae: Quod scilicet Ministerium ejus futurum esset assiduam certamen, & veluti tela aliqua tentationum, unâ ex aliâ surgente.

X. Maldonatus, in eodem Christi secessu, Anachoretarum superstitioni praesidium quaerit. Cum tamen *primò*, ordinaria Christi cum hominibus consuetudo, potius convictum cum eis suadeat. *Deinde*, nec Christus egit, quod Anachoretæ faciunt: Neque isti, quod Christus. Non Christus in desertum se contulit opinione meriti, aut semper illic hæsurus. Nec illi, ut Christus, à Spiritu S. illuc stimulantur. Quin Spiritus Christi in verbo loquens, & Christus, Eremum, seu locum tentatori idoneum, & tentationibus obnoxium, frequentare dissuadet. Matth. 4:7. 6:13. 24:26. Admonendus hinc es Lector, prodiiisse Ann. C. 1504. adedque ante exitum Ecclesiae ex Babilone, operâ & studio, Georgii Relmisi Anipimii *figuras cum versibus in Evangelia*. Harum figurarum una, exhibet Satanam Veste Anachoreticâ

*Secessus
Christi,
abusus.*

ticâ seu Monachali indutum, in deserto cum Christo contendentem. Tyria sanè maria concitaturus fuisset Murnerus, vel quivis alius de cavea illa, si Zuinglius aut Lutherus, hâc Figurâ Satanam produxissent. Adeò tempora mores mutârunt. Jesuitæ Christum ut Anachoretam, desertum petiisse dicunt: Eorum Majores, Satanam, Anachoretæ personam egisse professi sunt.

Es usus.

XI. Quantò ergo rectiùs alii, occasione deserti hujus cogitant: Licere nonnunquam precum, jejunii, meditationis causâ, secedere, ut paratiores redeamus ad Ecclesiam: Ministerium sacrum & quæcunque alia ardua, non illotis manibus, sed mente religiose præparatâ aggredi æquum & decorum esse: Quò nos Deus vocat, & Spiritus ducit, spontè sequendum: non deserta, non famem, non ipsum Satanam, hoc duce expavescenda: Si, quæ tum per Mosen, Eliam & Christum, tum erga eos à Deo, in deserto facta introspicimus, tantum abesse, ut loca deserta, horrida, sterilia, argumento sint, mundum esse fortuitum aliquod, aut mali Authoris opus, ut potius contrarium evincant: Ecclesiæ autem, si in *desertum* à Deo agatur (Hos. 2: 16. Apoc. 12: 6.) minimè desperandum; sed confidendum, quòd Deus magni & præclari aliquid molitur, quod ei gloriosum, Ecclesiæque utile futurum sit.

*Christus in
desertum
subductus,
quò tenta-
retur à
Diabolo.*

XII. Christus tum securitatis, tum respirationis, tum devotionis, tum virtutis exercendæ gratiâ, frequens in desertis fuit, Marc. 1: 35. Matth. 14: 31. &c. Nunquam tamen diuturniorem moram egit: Nunquam deteriora illic passus, quàm primâ hâc vice. Ipse quidem precum ergò (ut aliâs sæpè) secessum quæsierat: Spiritus autem S., eum deducentis, consilium fuit *πειρασθῆναι*, ut *Christus* illic *tentaretur*. *Πειράζειν* Hesychio Interprete, est *πειραν λαβεῖν periculum facere*, Experimentum personæ vel rei capere. Porro Scriptura commemorat, tentationem tum *bonam*, quæ ex bono principio, medio legitimo, honesto & utili fine fluit: Tum *malam*, ex principio malo, mediis illicitis, noxio fine factam. Authores tentationum commemorat vel *Deum*, qui ut ipse bonus, ita omnia ejus opera perfecta sunt, Deut. 32: 4. Malè autem & ad malum neque seducere, neque seduci potest, Jac. 1: 13. Vel *Homines*, quorum tentationes & malæ & bonæ esse possunt. Vel *Satanam*, qui ut aliâs semper, ita in omnibus tentationibus malus. Unde & hoc ejus Studium, simpliciter *tentatio*: & ipse

& ipse καὶ ἐσχὼν *malus* cognominatur, Matth. 6: 13. Scopi nostri memores, nonnisi de posteriore tentationum genere, quod res postulabit, dicere aggredimur.

XIII. Utut verò Spiritus Jesum in desertum seduxit, quò *Salvâ Spi-*
tentaretur, Satanam tamen, nec præcepto ad Jesum tentandum in-
duxit, nec stratagemata quibus utebatur ei dictavit: sed Satan proprio *ritus Divini*
Marte & scelesto ausu, impetum in Christum actus, quò *Sanctitate.*
Christus à Spiritu Dei Sancto in desertum actus, quò *tentaretur?*
Resp. Nôrat Spiritus S., Diabolum, qui irrequietus περιπατεῖ *omnia*
percurrit, *quærens quem devoret*, 1. Pet. 5: 8. Job. 1: 7. 2: 2. 1. Reg. 22: 21.
Domino Jesu, quem haud ignorabat esse *Filium Dei dilectum*, primâ oc-
casione datâ, minimè parciturum. Porrò Diabolus *loca arida* amat, *qua-*
rens requiem, Matth. 12: 43. Unde Dæmones in S. literis *□'γγψ. □'דש*
dicuntur, totiesque suis cultoribus, Panum, Satyrorum, Faunorum lar-
vâ, & Hircipedes, in locis desertis illusère. Neque insidiæ à Satana, vel
certiores vel periculosiores adornantur, quàm homini solitario,
Eccles. 4: 9. seqq. Audi Chryf. in Matth. *Hom. 13.* Ἐπειδὴν (τὸ πνεῦμα)
τὸν Διάβολον ἐπισπάσασθαι ἐβέβητο, ἔδιδ' ἀπὸ τῆς πείνης μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ
τὸ πᾶσα, δίδωσιν αὐτῷ λαβὴν. Τότε γὰρ μάλιστα ἐπιτίθηται ὁ Διάβολος,
ὅταν ἴδῃ μεμονωμένους καθ' ἑαυτὰς ὄντας. Postquam id Evæ Exem-
plo, quam Satanus auxilio & præsidio mariti destitutam aggressus est,
confirmâisset, addit: Διὸ χρὴ μάλιστα, καὶ διὰ τὸ μεθ' ἀλλήλων ἀγε-
λάσθαι συνεχῶς, ὡς μὴ ἐν χειρὶ τῆς εἰναι τῷ Διαβόλῳ. *Ideo convenit etiam*
in hunc finem semper aliis aggregari, ne faciliè laqueis Satana involvamus.
Christum in puerili & juvenili etate, ut ceteri mortales omnes: in de-
serto, insigniori studio & vehementiori impetu, novo modo, novo
tentationis genere, exercitum, divinat Montatius. *Est enim hoc*
(inquit) illi ἔργον perpetuum: neminem non tentat in omni etate. Nos
nihil hîc definimus.

XIV. Quamquam ergo Spiritui exploratum fuerit, Christum
ut primùm in desertum venerit, à Satana tentatum iri, eum nihilo
fecius ἐκβάλλει *expellit* in desertum. Nimirum, Spiritus voluit Chri-
stum cum Satana congredi, ejus artes & nequitas experiri, superare. *Christi, eam*
Tentare quidem, i. e. Verbis, Exemplo, arte, ad peccandum *subeunsi,*
inducere: Nec non tentationi succumbere, malum. *Tentari posse*
infirmatis est: nam cœlitum prærogativa est, quòd tentari non pos-
sunt. *Ratione &*
ipsum Chri-
sti.

B

funt. *Tentatori habenas laxare, & tentationem dirigere, sanctum & Deo gloriosum. Est enim argumentum tum αὐτο- & παντο-νεγοείας, qua non potest non sanctè exerceri: tum amoris Dei, nostri gratiâ Filium tentari permittentis. Christum consideramus? Emicuit ex tentatione non tantùm donorum ei à Spiritu S. collatorum præstantia. Sed vel imprimis latissimum discrimen inter Adamum primum & secundum. Si Caligula unam cervicem populo Rom. optabat, quò eum unico ictu perderet: Satan certè & Adamo (qui omnes homines) & Christo, (qui omnes Filios Dei repræsentavit,) perditis, de omnibus universim hominibus triumphum sibi promisit. Itaque in utrumque irruit. De Adamo quidem primo, spes eum non sefellit. Jam etiam Christo omnes arietes admovit, gnarus si hâc succederet, humani generis res conclamatas fore. In priore Adamo lapsis, per Christum consuli potuit. Sed si eos præsidio, quod in Christo naçti sunt depulisset, nulla miseris salus restabat. Omnes ergò lacertos adversùs Christum movet, nec telum intentatum relinquit. Nec tamen hilum proficit. *Venit Spiritus mundi hujus quidem, & in me nihil habet, Joh. 14: 30. Quia videlicet prior, de terrâ: alter, Dominus de cœlo. Ille vivens quidem, sed mutabiliter: Iste Spiritus vivificans: qui tantum abest, ut vita, Spiritus, amor Dei, in eo extingui potuerit, ut morti arma extorquere, mortuis autem vitam, eamque æternam inspirare, potis fuerit. 1. Cor. 15: 48. seqq. Nunquam adoritur nos Satan, quin vulnus aliquod insigat, vel saltem aliqua Punctione nos ledat. Christum hâc in parte, naturæ integritas à nobis separavit. Quanquam non media quedam conditio in eo imaginanda est, qualis fuit in Adam, cui tantùm datum erat posse non peccare. Atqui scimus eâ Spiritûs virtute munitum fuisse Christum, ut Satana telis penetrabilis non esset, Magni Calvinii verba sunt.**

Illustratur

ex Hebr. 2: 17. 18. 4: 14. seqq.

XV. Rationem ponderosissimam Sanctus Apostolus exhibet, Huc ea tendunt: Christus nobis à Deo datus Pontifex: At Pontifex πῖσος fidelis esse debuit, voluit. Ad ejus gloriam conferebat, ut partibus (quas in se suscepit) bono populi, cui Pontifex dabatur, plenè defungeretur, eos in tentationibus non negligeret, sed tandem ab omni malo liberaret. Quò autem ita fidelis esset, misericordem esse oportuit, vid. Hebr. 5: 2. Hominis misertus sacerdotium in se suscepit. Miseratione populi, inducitur ad

ad ea apud Patrem peragenda, in quibus peccatoris salus vertitur, quibus ea impetratur, promovetur, confertur, i. e. ad oblationem & intercessionem. Quo populus misericordiae hujus fiduciâ, tum ad thro-
 numpressis manibus teneret, Pontifex noster *fratribus* (illis quorum Gœl est), tum *in aliis omnibus* (sive naturam humanam, sive naturam hujus infirmitates ἀδιαλέητες, spectes) *assimilatus* est: Tum in *tentationibus*, quibus exponuntur & exercentur. Quum enim non πένταδλθ tantum, & *Quinquentio*, ut gloriosuli illi Græci se vanillimè jaçtabant, sed verè πάνταδλθ, verè παγκρατίας sit, voluit, omni modo ut illi, tentari: aperto Marte & opertâ Arte: immediatè à Satana, & per ejus emissarios, excepto peccato. Equidem etiam passiones cruentæ & mors ejus, *Tentationes* dici merentur, quia in eis *obedientiam* didicit, Hebr. 5: 5. 8. Non tamen excludendæ sunt tentationes, quibus, tum corrente Ministerio, à Pharissæis: tum in ejus limine, à Satana exagitabatur: in quibus sensit, ut ignita illa Satanæ tela, animum Dei aggressus est, vires & virus suum ferociùs, sed & majori cum periculo, in peccatores effusus sit, nisi Gratia Christi maturè eis præstò sit. Quanquam enim leviora longè illis sustineamus, quæ Christus toleravit (similiter enim ut ille tentamur, saltem genere, non modò) nostrum tamen periculum, ob imbecillitatem carnis nostræ, longè majus. Has omnis generis tentationes sustinuit, tanquam *sacerdos fidelis* & *misericos*: tum eis τὸ ἰλάσασθαι ad expiandum peccata populi, quò fidem suam probavit: tum ut *in iis quæ ipse passus est*, fratribus quum tentantur succurrere norit, quod *Misericordis* est. Poterat equidem succurrere potentiâ, quia Deus. Voluit tamen etiam eis succurrere quâ *Pontifex fidelis*, & eos morte suâ Patri reconciliare. Quo facto succurrere eis potest jure: lege non ampliùs obstante aut re-fragante, sed suffragante. Ipsumque jus Dei seu justitia Dei id postulat. Idemque, quâ *misericos Pontifex*, observat & considerat cogitationes, sollicitudines, dolores *quocunque modo tentatorum*. Eorum συμπαθεία afficitur, in malis eos consolatur & ex eis tandem liberat. Quo inquam, *cunque modo* tentatos. Nam non illa tantum, quæ immediatè Satanam Authorem habet, sed quælibet πύρωσις credentibus εὐδὲς πειρασμὸν contingit, 1. Pet. 4: 12. ut fides eorum tanquã in igne ex-
 B 2 plore.

ploreitur, & auro illustrior deprehendatur. 1. Petr. 1: 7. Huc imprimis Christi tentatio in deserto facit. Eâ *serpens*, in limine Ministerii Christi, ostendit, se *calcaneo* Christi insidiari: Et hoc sibi pensi sumsisse, ut illum *conterat*: hinc proximâ quam nactus est eum invadendi occasione. usus est. Sed vicissim Christus hoc *ἡθροισμῶν* declaravit, se esse *fortiorem forti armato*, Luc. 11: 21, 22. ejus *opera destructurum* 1. Joh. 3: 8. *Caput contriturum* Gen. 3: 15. *eum olim foras projecturum*, Joh. 12: 35.

B. Fidei sum.

XVI. Exemplo Christi notorium fit, Filiis Dei universis, maximè illis, quorum est præter propriam, multorum aliorum saluti operari (vid. Syrach. 1: 2.) Satanam imminere, Matth. 10: 24. Joh. 13: 16. 15: 20. Nam Christus non eos liberavit à principe tenebrarum ne tentarentur, sed ne superarentur ab eo. Et notum est illud Lutheri: *Oratio, meditatio, tentatio faciunt Theologum*. Ergo illi & isti, hoc Christi Exemplo, ad vigilantiam incitantur, ne inermes & imparati obruantur. Fiduciamque concipiunt, tentationes nullas extrinsecus vel à Satana vel à Mundo objici, nisi Deo dirigente. Hocque inter alia esse *inducere in tentationem*, quod Deo tribuitur: nobis autem deprecandum est, Matth. 6: 13. Tentationes tamen si irruunt, non irati judicis, sed blandi Patris *τεμελευον* esse. Nam Satan *eos tentare solet, quos videt Regno suo renuntiâsse, & ad Regnum Dei aspirare*. Reliquos autem nihil opus est ei, ut *tentet: sed agit eos, quocunque lubet, &c.* 2. Tim. 2: 26. Wolfg. Musculus, Meritis. Bernensium Theologus, inquit, in *Matthæum* p. 45. b. Ergo (ut Augustinus de *Trinitate* IV. 13.) *Verus vite Mediator, mortis Mediatorem* (Diabolum) à Spiritibus in se credentium foras misit, ut non regnaret intrinsecus, sed forinsecus oppugnaret, nec tamen expugnaret. Addit: Huic seipse quoque tentandum præbuit, ut ad superandas etiam tentationes ejus, *Mediator* esset, non solum per adjutorium sed etiam per *Exemplum*. Nam (sic idem in Pf. 90.) *Si ille non vinceret tentatorem, quomodo disceres tu cum tentatore pugnare?* Et Zuinglius, in Matth. IV. *Dat exemplum Christus, Deum adesse his, quos tentari & adfigi permittit: quem admodum & Filio suo adfuit. Nam & nos filii Dei sumus per Christum*. Itaque Christus tentatus, ceu *Propheta* noster & *Magister*. Detegit artes Principis Mundi: Docet quem Animum in certamen contra eum asferre debeamus: & quæ sint *arma justitiæ dextra* & *sinistra*

sinistra quibus militare debeamus. 2. Cor. 6: 7. Quod Sacerdos fit, qualis ἐπιεργε, ad Dei gloriam & nostram salutem requirebatur, à peccatoribus separatus, Hebr. 7: 26. Particeps factus infirmitatis non iniquitatis: Ut per infirmitatem communem, solveret iniquitatem nostram, Aug. Epist. 42. scribit. Rex, nunc in verbali, olim cruento conflictu: nunc tentationibus, olim tentatore superior futurus. Adeoque undique par, nobis ex potestate Satanæ in Regnum suum asserendis. Ut ipse suo brachio, ita nos (modò masculè sub signis ejus decertemus) fide, i. e. Virtute Christi, quanquam non integras vires asseramus, qualibus Protoplastus polluit: gloriosius tamen eo, ex carceribus egressuri sumus: ipse verò ferocientem hostem, sub pedes nostros contriturus est. Rom. 16: 20.

XVII. Militiæ hujus præstantia, quo animo, quibus denique armis geri debeat, ex Ephes. 6: 10--18. liquet. Eandem Tertull. ad *Martyr.* cap. 3. his verbis delineavit: *Vocati sumus ad militiam Dei vivi, jam tum cum in Sacramenti verba respondimus.* Alludit ad interrogaciones in Baptismo. Pergit: *Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit: sed de papilionibus expeditis & substrictis, ubi omnis durities, & imbonitas & insuavitas consistit. Etiam in pace, labore, & incommodis bellum pati jam ediscunt, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam demoliendo, testudinem desiccando. Sudore omnia constant, ne corpora & animi expavescant de umbra ad solem: & sole ad cælum: de tunica ad loriam: de silentio ad clamorem: de quiete ad tumultum. Proinde vos, benedicti, quodcunque hoc durum est, ad exercitationem virtutum animæ & corporis deputate. Bonum agonem subituri estis, in quo Agonothetes, Deus vivus est. Xystarchus, Spiritus S.: Corona, æternitatis brabeum: Angelicæ substantiæ politia in cælis, gloria in secula seculorum. Itaque Epistates noster Christus Jesus, qui nos Spiritu unxit, & ad hoc scamna produxit, voluit nos ante diem agonis, ad duriorē tractationem, à liberiore conditione seponere.*

XVIII. Xystarchus hujus Certaminis Spiritus S.: Tentationis autem Author Diabolus, quæ vox à S. Matthæo in hac Historia quater, à S. Luca quinquies adhibetur. Oritur à διαβολω, quod prima significatione est *trahere: Tralatitiè, calumniari.* Quia ut hostis hostem telo vulnerat aut occidit: ita qui nobis infestus, linguâ famam

mam nostram lædit. Eos apud quos gratiâ pollemus, à nobis alienos reddit. Apoc. 12: 10. Κατήγορος nuncupatur. Frequentissimè, *Diaboli* nomine, nuncupantur Spiritus infernales, impuri: Quorum quamvis magnus exercitus, hoc tamen nominis nunquam πληθυντικῶς pluraliter adhibetur. Tum quia hoc calumniandi scelus, in eisdem singulis dominatur: tum quia isthoc nomen fermè ei tribuitur, qui est ἄρχων τῶν δαιμονίων, *Spirituum* illorum caput, Matth. 9: 34. 12: 24. Reliqui ab eo distinctè, *Dæmonia* & *Angeli* ejus dicuntur Ibid. 25: 41. Is ut quantus quantus est *malus*, Matth. 6: 13. cloaca scelerum, ita in hominem ad imaginem Dei factum pessimè animatus. Unicè intentus eum à communione cum Deo (quæ sola hominis felicitas) excludere: *mendax* & *Pater ejus*, Joh. 8: 44. i. e. alios ad mentiendum inducens. Quod nisi succedat, in bono constantes *coram Deo accusat die & nocte*, Apoc. 12: 10. Quos jure deferre nequit, injuriâ calumniatur ut Διάβολος. Sicut Sycophanta leges: ita Satan verbum Dei διαβάλλει, καὶ τοὺς φίλους ἐχθρὸς ποιεῖ, diffidia serit: calumniando Deum apud homines, homines apud Deum, homines apud homines. Nomini huic suo, eum pulchrè respondisse, in Monomachia cum Christo, series rei docebit.

Peteribus
& nuperis
ἐμποιήσας
occurritur.

XIX. Equidem *Diabolus*, & reliqua nomina, Spiritui defectori communia sunt cum ejus membris, quæ Gen. 3: 15. *Semen serpentis*, Matth. 3: 7. *Generatio viperarum* nuncupantur. Unde haud desunt, qui h. l. non orci caput, sed hominem insigniter malum intelligi volunt: quod negent esse *Spiritus malos*, quos *Diabolos* nuncupamus. *For- san nec Angelos nec Spiritus bonos esse credentes*: quos infra, Christo ministrasse, legimus quò Christi gloriam ac Divinitatem imminuant, per *Angelos intelligent bonos homines* &c. laudatus Musculus inquit, in *Matthæum* pag. 45. b. Mirum verò non agnosci illum, cui cum Christo fuit certamen irreconciliabile, ubique in Sacris literis commemoratum, & cui præsens actio omnis, imò cui soli ultima scena commo- dè tribuitur: fingi ex adverso non-ens, quod ipsi denominare & cujus vestigium in Sacris literis ostendere nequeunt. Nuperus Sadducæismi incrustator fingit, Angelum defectorem, statim à lapsu detrusum in carcerem, & catenis ibidem ita constrictum teneri, ut in humanis, & orbe ab hominibus habitato, neque rerum egerit quidquam homi- nes tentando, turbando, seducendo; nec etiamnum agere possit. Dicit

Dici Christum à Diabolo tentatum, quòd Christus id sibi imaginatus fit, nec sine anxietate & metu Diabolum adventantem viderit. Tam bellè sciulus ille sibi constat! Si Satan in carcere constrictus tenetur, quí Christus eum adventantem vidit? Unde tantus Christi metus, si nulla Satanæ in terra operatio? Quanta in Christo debilitas, si sola de hoste constricto cogitatio, eum adèd perplexum reddidit? Ignoravit fortè Christus, quod ὁ ἐμπαίκτης exploratò tenet! Imaginationem seu fascinationem, quam fascinator fascinator, impiè Christo tribuit, malam fuisse certum est. Si ejus Author Christus sit, carnem oportet habuerit corruptam, à qua malæ, transeuntes quidem, malæ tamen concupiscentiæ profluxère, quod cogitare blasphemum. Si Christus eorum Author non sit, dicat, cui consilia illa tribuenda censeat?

XX. Accingimur, ut Christum in arena constitutum & τὸν *Quadranta* καλὸν ἀγῶνα *bonum certamen* decertantem contemplemur. *Confiderum mora,* *tum occupatio* Christi. Præmittimus, in verbis Marc. 1: 12, 13. fuit *illic in deserto*, Arabi & Vulgato, adverbium *illic*: Beæ vocabula, *in deserto*, redundare videri. At observat Cl. Lightfootus h. l. Hebraismum מִן הַבְּרֵייתָ דִּיכְתּוּבָא dictum. *Mora* Christi in deserto, *dierum quadraginta* fuit, l. c. *Dierum* inquam non naturalium, sed Civilium. Hinc Matthæus 4: 2. & c. Lucas 4: 2. distinctè, *quadraginta dies & quadraginta noctes* designant. Judæi (1. Sam. 14: 25. & c. excepto illo Esth. 4: 16.) nec non Christiani, pristini & moderni, jejunia ad vesperam producunt. At Christus noctes eodem modo quo dies duxit. Quia Numerus quadragenarius, tum dierum, tum Annorum, in sacris literis frequens, sunt qui nescio quid misterii in eo venantur. Sed cum tot alii pares & impares numeri, non minùs illic frequentes sint, calculus istorum non minùs confunditur, quàm Hieronymi observatio: *Numerum Quadragenarium semper afflictionis & pœna esse*. Quadraginta Dies, Christi resurrectionem proximè expectantes, certè pœnales non erant: nec plures alii, de quibus Montac. *Orig. I. 409.* Augustino quadragenaria Christi mora in deserto, videbatur præsentis vitæ cursum significare, jejuniis, orationi, pœnitentiæ destinatum. Jesuitarum *λεπτολογίας* Cl. Spanhemius *part. 3. Dub. Evang. LIII. §. 4.* perstringit. Liceat nobis cum quadraginta diebus illis conferre, quadraginta circiter horas *mæroris* (jejunii Marc. 2: 19.) quibus

quibus Christus in mortis potestate mansit: quarum squalor liberaliter compensatus, proximè insequentium dierum *letitiâ*, quos Christus in Discipulorum convictu, quò fidem eorum confirmaret, infumfit. Idem per quadraginta Annos post Ascensionem, ab incredulis Judæis patientiam suam tentari passus est: quâ patientiâ nihil meliores facti, Christus eos terrâ & fœdere suo exturbavit. Ut pridem à Rebellibus eorum Majoribus, totidem annis in deserto tentatus, tentatores, ne terram promissam viderent, in deserto prostraverat. Cæterùm tantâ tot dierum constantiâ, Christus inexpugnabile suum robur demonstravit: ejusque obedientia tantò majorem laudem meruit, quantò diuturnior, difficillimus Agon fuit.

Cl. Ligtfooti, de Anni sempetate, conjectura.

XXI. Sex circiter hebdomadas Christus in deserto exegit. Si, ut Cl. Ligtfootus conjicit, mora hæc initium fumsit, mediò circiter Mense Tisri (quo ipso scilicet tempore, Hircus ἀποπομπῆς per Virum mundum in desertum deducendus erat), ab initio Octobris ad decimum circiter Novembris continuabatur. Quod Anni tempus & frigore & noctium longitudine invalescente, asperius esse solet. Quæ loci importunitati addita, molestias quas Christus tanto tempore pertulit, haud mediocriter augment. Sed quæ ob silentium Spiritûs S., nullo labore cognosci, nullo dispendio ignorari possunt, in mustaceo laureolam quærentibus, investigandum linquimus.

Christi aeternitas.

XXII. *Occupatio Christi actionibus & passionibus* ejus absolvitur. De *Actione*, vel potiùs, *abstinentia* (quæ in aliis ἀσκησις & preparatio dicitur) ejus, S. Matthæus: Νηστεύσας quum jejunasset, dies quadraginta & noctes quadraginta. S. Lucas sic explanat: οὐκ ἔφαγεν εἰδὲν (duplex negativa, fortior) non edit quicquam per illos dies. Νηστεύω ἀπὸ νήσεως intestino, quod παρὰ τὸ κενὸν εἶναι σίτων, quia semper inane est cibus, νήσις ἀ μὴ & ἐσθίω, *jejunum*, vacuum dicitur. Verè ergo Christo humanæ veritatem, inter alia eo comprobavit, quòd edit & bibit, Matth. 11: 10. Act. 10: 41. Ante mortem, necessitate naturæ: Post resurrectionem, liberâ dispensatione. At Spiritu actus in desertum, nullo humani pastis suffragio fultus, ut cum Augustino loquar, quadraginta dies ibi consumit. Pleraque jejunia in sacris tabulis commemorata precibus conjuncta, Matth. 17: 21. Luc. 2: 37. Act. 10: 30. 14: 23. 1. Cor. 7: 5. Preces à Christo in deserto suscipas, Spiritus S. non com-

commemoratur. Fuerunt tamen sine dubio causa abstinentiæ Christi: & abstinentia, precum Christi comes & fomes: Utriusque causa, Christi certamen. Discernendum ergo *primùm*, principale ab accessorio. Nec Spiritus Christum, præcipuè jejunii gratiâ in desertum egit: nec Christus ejusdem causâ, illic moratus. Neque adeo jejunium propter se, quàm propter aliud suscepisse videtur. Unde jejunium à S. Marco, ne commemoratur quidem. Quod ergò in loco, in quo à Spiritu S. subductus tentari voluit, nullus victus parabilis esset, opus erat ejus corpus divinâ virtute immediatâ & singulari sustineri. *Deinde*, non confundenda *temperantia* (quæ cibos non averfatur, sed in moderato eorum usu consistit: semper observanda) cum *abstinentia*: quæ omnem ciborum usum excludit. Hæc porrò vel *naturalis* (Stomachò, ex debilitate, vel aliâ causa, omnem aut certum cibum fastidiente:) Vel *coacta* (egenorum) vel *voluntaria*, (cùm, cui cibus suppetit, quemque appetitus urget; lubens tamen, ad certum tempus à cibo abstinet & appetitum coercet): Vel *præter naturalis*, cùm corpus animale, ultra consuetum tempus absque cibo ita conservatur, ut cibum ne quidem appetat. Hujusmodi corpus se non tam activè, quàm passivè habet. *Voluntaria*, propriè illud est, quod vulgò *jejunium* dicitur. Omne enim jejunium abstinentia: non omnis abstinentia jejunium. Porrò hoc jejunium, pro varia ejus causa & fine, vel *civile* (abstinentia ob negotia, vel impedimenta Politica, 1. Sam. 14: 24.) Vel *Naturale*, ex instinctu Naturæ, vel restituendæ, vel conservandæ sanitatis ergo: vel *Religiosum*, si orationis incendendæ, & carnis domandæ causâ, publicè privatimvè suscipitur. His adde *Miraculosum*, quod abstinentia est ab omni victu, per spatium Naturæ leges & vires superans, ex peculiari sustentatione divina: à Naturali, causâ proximâ & effectu diversum: Superioribus jejunii generibus, tot gradibus nobilior, quot corpus Spirituale animali (ciborum necessitati alligato) perfectius est. Religiosum jejunium, *virtutis*; Præternaturale, *Miraculi* actus. Vel, si virtutis; non *communis* aut *moralis*, sed *singularis & heroicæ* est.

XXIII. Christi hoc jejunium quadraginta dierum fuit. *Ei Supernaturalis est.* in utroque præluxerunt, *Moses*, & ter quidem: legi tradendæ & re-
centi cultui auctoritatem conciliaturus. Nec non *Elias*, corrupti cultûs Restaurationi decus & gratiam impetraturus. Miraculosum

C

utrius-

utriusque jejunium, rerum mirandarum in Ecclesia ab eis patrandarum, Aurora fuit. Iidem Christi transfigurationem in monte Sancto ornarunt, Matth. 17: 3. Christo utrobique fidem faciente, se illum esse, cui Moses & Prophetae testimonium perhibent. Sed ut Christi persona & functio longè illustrior, ita ejus jejunium (quicquid Stapletonus tergiverfetur) longè splendidus. Illi alienâ & externâ virtute. Mosen enim *facies Dei*, in colloquio familiari, præ quovis adipe *satiavit*, Psal. 17: 15. 63: 6. Elias בכח אכילה *virtute cibi* Angelicis manibus præparati, 1. Reg. 19: 8. ab aliis cibis abstinuit. Christus in fitâ & propriâ virtute. Porro à Jordane rectâ in desertum festinat, nullo commeatu viaticatus. Non tantùm ἀσκήσας, ut illi, sed etiam à Satana lacesitus: & corporis commodis, & Animi quiete, carens. Hactenus non illis tantùm, sed etiam Johanne major: qui quia victu crassiore usus, *neque edisse, neque bibisse* dicitur. Matth. 11: 18. At Christus tanto tempore omni cibo abstinuit. Aliis etiam occasionibus cibi securus, institutioni vacavit, Joh. 4: 32. Marc. 3: 20. At in deserto *jejunat per quadraginta dies*. Quod naturæ vires excedere etiam ἀναλφάκτοι nôrunt. "Ἄβρωτον ἄβρωτον. Nimirum siquidem à guttarum sanguinis jugi pressione, in extremis arteriolarum partibus, nutritiæ particulae, per idoneos porulos exprimuntur, ad partes nutriendas devehendæ; vel particulas absumptas in poris vacuis restaurari, vel (ut lychnus alimento deficiente) vitam extinguere necesse est. Sunt, qui nolint, corpore sanos & benè compositos, quinque dierum jejunium ferre posse. Inediam patiendi facultatem, Hippocrates septem, Plinius undecim diebus describit. Augustinus Epist. 86. *se aliquos cognovisse, qui ultra hebdomadam perpetuarint: Ut jejunio quadraginta dierum (Christi) quantum potuerint appropinquarent*. Divini ergò aliquid est, Christum per quadraginta dies ita abstinuisse, ut toto illo tempore defectum illum ne quidem senserit. *Non aliter inediam ferens, quàm si carne non fuisset indutus*, Magnus Calvinus inquit. Quod duabus de causis animadvertimus. *Prior est: Nullas tam diutini jejunii rationes naturales, cum Scholasticis quærendas, Spanhemio, Part. III. Dub. Evang. LIII. par. 4. notatis: Sed unicè causis supernaturalibus & virtuti divinæ insuetæ tribuendum. Posterior, falli Estium in Matth. 4: 2. comminiscentem: jejunium Christi fuisse actum pœnalis abstinentiæ. Famem (de qua Sult. & Marc. 11: 12.),*
Ten-

Tentationem, etiam blasphemias, & contradictiones Satanæ, (non minus quàm illas Hebr. 12: 3.) Christo acerbis fuisse, locumque mereri inter mala, quæ nostro loco passus est, lubentes agnoscimus. At jejunium quod sine ullo dolore & molestia quadraginta dies duravit, ejus passionibus minimè accensendum. Pallio & Afflictio est jejunium cum fame. At Christus quadraginta dies ita jejunavit, ut (quicquid Stapletonus aliique nugentur) famem non tolerarit: quod contra Sociennos suos Menochius agnoscit.

XXIV. Rationes abstinentiæ tam rigidæ, ab omni cibo & potu, *Rationes* tamque diutina, varix fuere. Non equidem communes cum jejunantibus peccatoribus, ad imminentiã malæ prævertenda: Vel carnem subigendam &c. Sed ad demonstrandam omnipotentiam suam Divinam, quæ mediis ordinariis, adedque cibis, ad vitæ animalis conservationem utitur, non indigentia, sed ad sapientiam & *αυτεξοσίαν* suam comprobendam: Quo ipso fine, panes Matth. 14. & 15. multiplicavit, & à pisce nummum censualem sibi & Petro afferri voluit. Ib. 17. Porro, ab hujusmodi animalis vitæ nexibus & remoris, impediri noluit, in præparatione ad proximum Ministerium: quin, contrariam viam insistens, docere voluit, se suo in Mundum adventu, res nostras Adami gulâ perditas, restituere. Adamus in Paradiso, circumfusus omnis generis deliciis, tentatori succubuit: Christus in deserto, destitutus omni comæatu eundem superavit. Adamus desiderio superflui sibi imponi passus: Christus abstinentiã necessariâ, invictum animi robur & insuperabilem animi constantiam testatus est. Denique jejunio Christi duplex nobis jejunium commendatur, *abstinentia à peccato & sobrietas*. Enimverò, uti Chrysostomus observat, *μετὰ τὸ λαλεῖν οὐ τρυφῆ, καὶ μέθῃ, καὶ τραπέζῃ πληθύνῃ, ἀλλὰ ἡσέλιος ἀποσέχειν δεῖ*. Præcipuè inter tentationes non deliciandum, sed jejunandum. Exemplo etiam suo inculcat Christus, quod Matth. 17: 21. verbis confirmat. Sanè si Christus contra Satanam militaturus jejunat, qui à concupiscente carne purus fuit: quàm alienum est, suos, inter tot Satanæ insidias Apitios esse? Πᾶς ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται, *Omnis qui in Agone contendit, qui hoc agit, ut resistere malo possit, & eo superior evadat, ab omnibus se abstinere*. 1. Cor. 9: 25. Cæterum Athletarum Græcorum *ἀσκήσιν*, imprimis abstinentiam, qui nosse gestit, Mantacut. Orig. Eccles. Part. I. P. 406. sqq. Imprimis Petri Fabri *Agonist.* II: 8. III: 2. seqq. consulet.

*Num jeju-
nium hoc
Christi imi-
tandum sit!*

XXV. Fatemur primùm : jejunium hoc ad nos pertinere, quia fructus ejus ad nos redundant. Deinde verum est, *Christum* nobis imitandum, I. Cor. 11: 1. non tamen in omnibus. Imitandus nobis Deus Eph. 5: 1. Matth. 5: 45. 48. Sed an in creando Mundo? Nimirum actus Christi alii sunt *Virtutum*: Alii *Miraculorum*. Alii *communes* sunt, secundum legem communem v. gr. pietas, charitas &c. Alii *singulares*, θεῖοι, θεῶν θεῖοι, personæ & officio ejus privi. Illos imitari decet, hos imitari nefas est. Adde nec *liberas* Christi actiones, in quibus nulla sanctitatis, charitatis erga Deum aut proximum pars, nobis imitandas. V. g. Quòd hoc vel illo cibo, vestitu &c. usus est. Omnis Christi actio nostra *institutio*: quia nulla est, è qua non varia documenta hauriri queant. Non tamen omnis Christi actio *imitanda*. Sed *miraculosa* à *moralibus* accuratè discriminanda. In ipso Christi jejunio, non pauca nobis imitanda sunt. Sive ardua aliqua vocatio capeffenda sit, five per reliquam vitam, maximè in studio sobrietatis, jejunii, quòd resistendum Satanæ &c. Ut suis locis occupavimus. Ipsum tamen jejunium Christi per quadraginta dies, nobis non magis imitandum, quàm vel transfiguratio ejus in monte sancto, vel crucifixio ejus: quam & gloriæ & passionis ejus conformes esse conveniat. *Non dixit Christus: Jejunavi. Quamquam quadraginta illos dies posset proponere. Sed, mitis sum &c. Rursus illos mittens, non dixit, Jejunate: Sed quicquid vobis apponitur comedite.* Chrysof. ait in *Math. 11: 29.* Virtus quâ Christus tanto tempore à victu abstinuit, divina: Rationes autem ita jejunandi, singulares fuerunt. Illis quibus neque vires tantæ sunt, neque officium simile habent, exemplo Christi, ne semel quidem (quod Christus fecit) nedum quotannis (quod non fecit) quadraginta dierum jejunium imponi nequit. Judæi (Estio agnoscente,) Mosis & Eliæ jejunium non imitati, quòd id ad peculiare eorum munus pertinere intelligerent. Ex pari conditione jejunii Christi conficimus, id nobis in N.T. non magis imitandum esse. Consuli in eandem rem potest Abulensis.

*Num Papi-
stæ ejus Ex
emplo qua-
dragesimali
suum jeju-
nium, imeri
possint?*

XXVI. Bellarminus aliique cœli Romani Atlantes, Quadragesimis suis esurialibus, maximè Antepaschali, auctoritatem à jejunio Christi emendicant. Sed ex pumice aquam. Haud inficiamur, Basilium aliòsque Græcos, jejunium Exemplo Christi commendasse. Ab Hieronymo, Augustino, aliisque Latinis, ipsi quadragesimali, fulcrum ab eodem jejunio petitur. Negamus tamen, id vel ante IV. seculum factum:

Etum: Vel inde confici, jejunium quadragesimale ab Ecclesia receptum in imitationem jejunii Christi. Disertus in hanc rem Augustinus, Epist. 86. *Quibus, inquit, diebus non oporteat jejunare, sed quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non invenio definitum.* Eodem propemodum ævo, Joh. Callianus (cujus nomen, ob signa adversus Augustinum gratiæ divini præconem elata, Jesuitis venerabile), *Collat. XXI. 30.* sic inquit: *Sciendum sanè hanc observantiam quadragesimæ, quam diu Ecclesiæ illius primitivæ perfectio inviolata permansit, penitus non fuisse. Non enim præcepti hujus necessitate, nec quasi legali sanctione restricti, arctissimis jejuniorum terminis clauderentur, qui totum anni spatium æquali jejunio concludebant. Quando ergo hæc servitus imposita? Cùm ab illa Apostolica devotione discedens, quotidie credentium multitudo suis opibus incubaret &c. privatim impendiis suis consulens, (eas) non servare tantùm, sed etiam augere contenderet, Anania & Sapphira exemplum non contenta sectari. Quibus autoribus! Universis sacerdotibus placuit. Non ergo Apostolis, sed Sacerdotibus autoribus, quadragesimale jejunium in Ecclesia celebratur. Universis tamen inquires. Universos intelligo, qui opibus incubantes, Anania exemplum non contenti essent sectari. Ipse Alphonsus Salmero, Jesuita, agnoscit, nec Christi præceptum expressum extare; nec Exemplum Christi jejunantis, habuisse vim legis Divinæ. Denique Morinus, de Pœnitentia IV. II. 10. *Quadragesimale jejunium primis Ecclesiæ initiis non receptum. Adde quod Veteratores illi jejunio suo, neque Ecclesiam adolescentem neque Christum imitantur. Non Ecclesiam puriorem. Nam jejunium Ante-Paschale seculo II. commemoratum, non dierum, sed horarum quadraginta: Nec in jejunantis, sed ablati sponsi Marc. 2:10. i. e. sepulti Christi memoriam celebratum fuit. Concilii Nicæni tempore, adeoque Seculo IV. procedente, jejunium τεσσαρακονθήμερον cluet, quod nonnisi triginta & sex dierum fuit. Usque ad octavum circiter seculum ita observatum. Præterquam, quod & veterum jejunandi ratio exolevit. Videtis Exerc. nostr. de Pœnit. Eccles. primit. senesc. § 10. 11. Non religiosius imitantur Romani, jejunantem Christum. Jejunavit is quadraginta dies & noctes: abstinuit ab omni cibo & potu: sine efurie: nullâ opinione cultûs divini per se, necessitatis, meriti, satisfactionis: sine astrictione vel qualitatis cibi, vel ordinarii temporis sumendi cibum, ad spatium, quod humana natura ferre potest. Verbò, deest Papistarum jejunio, quod in Christi jejunio præcipuum: à Christi jejunio alienissimum fuit, quod Papistici**

proram & puppim constituit. Jejunium Christi cum Satana congressuri, nobis, quibus Satan semper imminet, (ut diximus) semper imitandum, diætâ, temperantiâ &c. Sed cur per quadraginta dies? ante Pascha? annuatim? delectu ciborum? ex præcepto Ecclesiæ? ut ut neque Christus neque Apostoli, hujusmodi imitamentum exigant? Omnibus ubique, iisdem cibus interdicens? Ita nimirum ut qui diebus quadragessimæ, ab esu carniarum non abstinet, juxta *Concilii Toletani VIII. Can. IX, Resurrectionis Dominice reus*: Imò, ut Bellarm. de *Bon. Oper. II. 9.* pronuntiat, *non Christianus sit.*

Christum in
eo non imi-
tatur.

XXVII. Causantur, quia tanto tempore omni cibo abstinere nequeant, aliquid cibi ipsis sumendum. Cur verò tu, qui non eodem Spiritu duceris, idem sustines, quod Christus plenus Spiritu suscepit? Quis hoc à manibus tuis requisivit? Fateris, te nec facere, nec posse, quod Christus fecit. Cur ergò Actioni adedò dissimili idem nomen tribuis? Cur imitari te fingis, cujus factum non tantum inæquale: sed qui simile, ejusdemque cum Exemplo nominis & gradus, producere i. e. quod te imitari non posse agnoscis! Quod inchoatu impossibile est, nec quoad rem, nec quoad gradum, imitabile dici meretur. Studium diætæ, ac temperantiæ, jactas. Ista equidem vires nostras non superant. An verò *studium Diætæ*, & (ut liberalis sim) *Diæta*, jejunium est? Quadraginta dierum? Pensum annuum, & certi Anni temporis? Quid si Saliarum eorum intueamur dapes, quibus jejunatores illi aqualiculum distendunt & corpus saburrant! *Licebit isto Exemplo & Christum super mare ambulantem imitari, in triremi navigando &c. Denique nullum penè supererit miraculum, quod non possit quis, imitandum omnibus fidelibus esse contendere, & adhibita hâc strophâ defendere, ex singulis Christi operibus.* Vel hâc: *Non illud proponi imitandum quod miraculosum, sed morale, quatenus ab homine servari potest.* Ut Cl. Dallæi verba mea faciam, de *Jejun.* pag. 634. Belli homines, Bellarminus, Maldonatus, Estius, Hercules Romani, cuneis & pluteis hoc Christi factum sibi afferere nituntur, sed clavam hanc felicissimè eis extorsit laudatus Dallæus *lib. citat.* à pag. 630. Paucis, illi miraculosum cum morali confundunt: miraculi non tantum meditationem fidelem, sed imitationem superstitionis urgent: Certis temporibus aliisque legibus conscientias serviliter alligant. Erat itaque omninò, cur Calvinus scriberet, *κακοζηλία* istâ, & *consilium Dei* & *totum ejus operum ordinem* perverti. Et: *Eam esse contumeliosam in Deum, quia fingulare ejus miraculum obscurat: In Christum, quod suum illi insigne detra-*

destrabentes, ejus spoliis se vestiunt: In Evangelium, cui non vulgaris detrabitur auctoritas, nisi hoc Christi jejunium, ejus sigillum esse cognoscitur.

XXVIII. Incommodorum quæ Christus quadraginta dierum intervallo passus, primum est, quod ἡν περὶ αὐτὸν ᾤμεν & tentabatur à Satana, ^{Confictus Christi cum Satana prior.} ut S. Marcus 1: 10. inquit. Ad ultimam scenam alludens: quod intra quadraginta dies contigit, minimè exclusurus: de quo S. Lucas 4: 2. *Quadraginta diebus tentabatur à Diabolo.* Quanquam Cyprianus id inficietur. Satan certus, eum à quo ceu trabali clavò, hominum salus pendebat, & cui tanquam fundamento civitas Dei superstructa est, in cunis perdere, Herodem incenderat, ut primùm atque rumor Regis Judæorum nati percrebuit, mucrones gladiatorum acuerit. Spe hâc delusus, arenamque idoneam animadvertens, nullum momentum elabi patitur, quin ipse pedem cum eo conferat & per integra quadraginta *ἡμέρας* manus cum eo conferat: ne, si certamina nostra & quævis adversa pertinaciora sint, muliebriter quiritemur. Imprimis messem in herba suffocare satagit ὁ πονηρός. Principiis potissimùm infestus est: in ipso limine opprimere satagit: ab inexercitatis, debilibus, tenellis animis, certiozem sibi victoriam promittens: Quæ spes si frustret, subinde ad certamina redit.

XXIX. Dubio caret, Satanam (pro more, 2. Cor. 11: 4.) in *Angelum lucis se transfigurasse.* Quemadmodum pseudo-propheta, verbum Dei mentitus, verum Prophetam ad inobedientiam vitâ luendam, induxit 1. Reg. 13: 18. Conf. 1. Sam. 28: 14. Quia Spiritus S. non exponit, quæ tunc tela adversus Christum evibrata fuerint: quâ serie: quale certamen fuerit &c. sunt quibus iste, quin sequentes Christi cum Satana congressus, *ἑσθενητικοί*, ecstatici, non reales, fuisse videntur. Clericus in Math. 4: 1. *Quæ hic, inquit, narrantur, facilius in visione, seu somno, Christo accidisse intelligi possunt, quàm reapse.* Equidem extremos tantùm actus Spiritus S. exhibet: quia Scripturam, institutioni nostræ & confirmandæ fidei, non curiositati alendæ, dictavit, Joh. 20: 30. 21: 25. Rom. 15: 4. Deinde, Satan hominis voluntatem immediatè flectere & commovere non potest. *Jehova* singulare est habere cor hominis ita in manu & potestate, at instar rivuli flectat, quò volet, Prover. 21: 1. *Diabolus adjutor & incensor malarum cogitationum esse potest, Auctor esse non potest,* Hieronimus ad Math. 15: 19. inquit. Ut tamen ei tribuantur *μεθοδεῖαι*, versutia, Eph. 6: 11. *πανουργία* astutia, 2. Cor. 11: 3. *βιάθη* profunditates, Apoc. 2: 4. Ita inconnivus & callidus est in ^{confi-}

consiliis suis suggerendis & insinuandis, ipsóque opere multos *πλεονεκτη* fraudibus suis insignis veterator circumvenit, & cogitationes hominum corrumpit, 2. Cor. 2: 10, 11. 11: 3. Unde dicitur *ἐνεργεῖν* operari in Filiis inobedientia, Ephes. 2: 2. Verbum Dei ex illorum mentibus *ἀετρί-ζεν* rapere, Math. 13: 19. Quasi vetero & Spiritu soporis obrutos, ebrios, aut maniacos (ignaros, quid miseri agant & quid cum illis fiat,) capere, laqueo indutos agere, ut voluntatem suam faciant, 2. Tim. 2: 26. Eorum cor possidere, Joh. 13: 27. In cor illis *ἐλάλει* injicere, ut mala faciant, Joh. 13: 2. Quin cor eorum implere Act. 5: 3. Iphis fortassis non advertentibus: Conf. 1. Reg. 22: 21. 22. 1. Paral. 21: 1. 2. Cor. 4: 4. 2. Theff. 2: 11. Id tam diversis & arcanis modis ab agyrta fit, ut frustra sit, qui omnia explicare velit. Vero haud dissimile est, quòd, ut Angeli suas cogitationes invicem communicare, plausibiliter proponere, ad assensum tamen non cogere queunt: Ita bonos malosque Angelos (Deo beneficia aut judicia sua per eos administraturo) conceptus suos homini bono & malo, magna cum probabilitate proponere, eumque ad assensum inclinare posse: nec tamen vel intellectum vel voluntatem ita in potestate habere, ut quicquam eis invitis obrudere queant. Mediata ergò omnis eorum in homine operatio est. Vel *intus*, per Phantasiam. Nam Spiritus in cerebro movendo, turbando &c. has aliásve cogitationes causantur; Diversarum rerum species animo objicientes, & variarum cogitationum occasiones suggerentes. Vel *foris*, verâ aut fallaci specie, sensuum organa, visum &c. pulsant, eosque ejusmodi motu impellunt, quem tales aliæve cogitationes sequuntur. Permittit hæc Deus, Satanæ in homines, ut malos puniat, bonos tentet, excitet, cautos reddat.

Christus nec imaginarias nec Ecstasias tentationes passus. XXX. Cyprianus Tentationes, visione à Spiritu S. excitatâ peractas vult. At Spiritum, qui Christum in desertum duxit, à tentatore distingui, S. 5. vidimus. Aliis, Satanæ in Phantasiam Christi, potestatis aliquid nactus, Spiritus in cerebro ejus civisse: fallacibus figuris, imaginationem ejus implevisse: vel tentationibus ecstasias, sive durante sive finitò jejuniò, cum eo conflictatus videtur. Nos ut his assentiamur adduci non valemus. Cumque eodem stylo & filo Spiritus S. de singulis tentationibus utatur, nequidem illis applaudimus, qui finitò jejuniò, primam *realem*, postremas *Phantasticas* fuisse volunt. *Primò*, quia quod Christus in deserto fuerit: jejunarit: inter feras degerit: Angeli ei

ei ministrarint &c. Hæc inquam historico & literali sensu intelligenda. Ergo etiam quod de Satana tentationibus, accessu, recessu &c. Deinde, ipsæ divinæ Ecstasies à sapientia, & dignitate Personæ Christi videntur fuisse alienæ: ut de Christo ad Jordanem glorificato § 6. diximus. Quotò autem crudius est dicere, Satanam tam arctam cum Christi mente habuisse conjunctionem, ac Spiritus Dei cum mente Prophetarum: & per immisionem specierum (sive in imaginationem, sive in intellectum Christi), per præstigiis, omnibus Christi sensibus in- & externis, ita illusisse, ut in deserto hærens crederet, se esurire, cum Satana iter facere, colloqui, jam in deserto, jam in pinna templi esse. Tertio, vix potest concipi, quæ Satan Consilia sua & cogitationes adversus Spiritum Dei, ipsiusque Christi animam militantes, Phantasiæ & cordi Christi, salvâ ejus puritate & sanctitate imprimere, inque eo elicere potuerit. Neque enim tantum Satana, sed (quod dicere horreo) ipsius Christi menti, tales cogitationes tribuendæ forent. Princeps Mundi *ὄν οὐδὲν nihil quicquam* in eo habuit; ne quidem in ejus Phantasia, ut in ea tanquam officina sua, quicquam agere, eamque ludibriis suis exercere & præstigiis fallere posset, ipso ignorante ubi locorū esset, vel quid ageret. Quarto, ut tentator formâ serpentis i.e. visibili, Evam innocentem aggressus, ejusque fidem & constantiam sollicitavit: ita, vero fortassis propius, formâ visibili (quid si humana? An etiam veste Anachoretica, ut memorabilis illa Figura habet, quam § 10. inuimus, cucullati viderint) actione reali, motu Physico peractâ, mutatione vera loci, cum Christo egisse. Quinto, laureæ quam constantia explorata Christi meretur: nec non consolationi, quæ inde ad nos manat, negatâ conformitate tentationū Christi & nostrarum, siquæ tentatio ei per Ecstasin aut somnium contigit, haud parum detrahitur. Agon certè vigilantis, ut dexteritatis, prudentiæ & fortitudinis, nervorum animi & corporis plùs requirit, ita plùs laudis meretur, quàm qui sola imaginatione peragitur. Quid quod ille tentari propriè dicitur, qui iudicio & libertate voluntatis uti potest. In visione, vel Ecstasi, neutrius usus est. Nec assensus propriè, nec dissensus. Possunt variæ species recipi, sed iudicium de illis nec in laude, nec in vituperio poni potest. Difficultates sanè habent præcipuè duo extremi illi actus, si κατὰ λέξιν explicentur: non tamen insuperabiles. Saltem nihil absurdi includunt. Maxime

si quod salvâ Historiâ Evangelicâ fieri potest, justum exercitio illi tempus relinquatur. Bene ὁ μακαρίτης, Aretius in Matth. IV. *Historia omnia narrat, ut rem corporaliter gestam: de quo non debemus anxii esse, plusquam pietas in Christum permittit.* Quid verò inter tentationes priores & posteriores discriminis fuerit? Satan illis, ceu velitationibus & προαγωγῶν, Christum eminens: his ceu decretorio examine, cominus aggressus sit? Illæ intervalla habuerint, istæ continuæ fuerint? Illæ tantùm per externas occasiones, discursum ferarum &c. Istæ ἀποπροσωπῶς & immediatè peractæ: similes illis Phariseorum, qui Christum tentasse dicebantur, cùm insidiosis quæstionibus eum aggressi sunt? Dicant qui possunt. Priores illi & posteriores actus Monomachiâ 1. Sam. 17. descriptâ longè illustriores sunt.

Satan.

XXXI. Qui in superioribus à Matthæo, atque hîc à Luca ὁ Διάβολος insigniebatur, jam à S. Marco Σατανᾶς, cognominatur, quod ἀντίδικον, ἀντίπαλον, ἀντικείμενον, causâ aut litis adversarium, oppugnatorem quemvis, etiam bonum & sanctum denotat. Num. 22: 22, 32. Fermè tamen sequiori sensu adhibetur, sive de imprudenti & inconsulto, ut 2. Sam. 19: 23. Math. 16: 23. sive conscio & maligno, 1. Reg. 5: 4. 11: 4, 23, 25. Frequentissimè de Spiritu defectore. Apoc. 12: 9. Job. 1: 6. Zach. 3: 1, 2. וַיִּשְׁתָּהּ וַיִּמְחַץ וַיִּשְׁתָּהּ *Et adversarius stetit ad dextram ejus, ad adversandum ei.* Quod ipsum impudentissimus Spiritus, in nostra Historia adversus ipsum Christum ausus est. Unde nomen hoc heic loci, à Spiritu S. ei jure accommodatur. LXX. reddunt sæpè per Διάβολος. At distinctæ hujus & illius vocabuli notiones sunt. Unde Apoc. 12: 9. utrumque jungitur. Diabolus est, quia Satan. ὁ Διάβολος ἵστη ἵψε adversarius, διακελευτικῶς semper. Dei, & hominum ad imaginem Dei factorum, & ad Beatam ejus communionem aspirantium juratissimus hostis. Cùm verò nomen hoc (ut Diaboli esse diximus § 18.) commune sit singulis illis spiritibus malis, quorum integræ legiones sunt, h. l. & Matth. 12: 24, 26. & alibi, eorum Principi vendicatur. Quia Diabolus, mendax: Cujus verbis nulla fides habenda. Quia Satan, ipso & solo nomine bonum quemvis à se alienum reddit. Quicquid enim pollicitis dives sit, serpentinâ calliditate se insinuet, beneficiis demulceat, Danaïdum munera & δῶρα ἄδωρα sunt: Haud minùs suspecta, ac Esca à venatoribus, Piscatoribus &c. objecta

objecta. Satan est. Hominis internecionem molitur. Quicquid fronte promittat, caudâ ut scorpius occidet.

XXXII. Alterum quod de Christo, quadraginta dies in deserto *Christi cum*
seruado cum
feris.
 commorante narratur, à solo Marco 1: 12. exhibetur: ἦν μετὰ τῶν θη-
 εῖων, *Erat cum feris.* Locus in quem Spiritus S. Christum duxit, non
 tantum neglectus, incultus, squalidus, sed etiam horridus & infre-
 quens fuit. Receptaculum ferarum, quas homines, quippe vitæ eorum
 insidiantes, & perditâ Dei imagine adversus herum Rebelles & fero-
 cientes, refugiunt. Ita passim loca inculta, ceu ferarum, Draconum &c.
 receptacula describuntur, Esaj. 34: 14. Zeph. 2: 14. Nebucad-Nezar
 sententiâ Dei iudicis ad feras ablegatus fuit, quò humiliaretur, Dan. 4:
 23. Daniel providentiâ Dei gratiosâ Leonibus objectus, quò Dei ocu-
 lum & manus piis semper præsentis, intentos, propitios, experiretur,
 Dan. 6: 22. Christo, qui se ipsum *Evacuaverat & exinaniverat* Phil.
 2: 7. feris cohabitandum fuit, tum ut ostenderetur, ejus beneficio etiam
cum feris fœdus nobis conciliari, Job. 5. 22, 23. : si vel *cum feris luctan-*
dum sit, 1. Cor. 15: 32. (nequidem in præsentissimis, nostrisve viribus
 insuperabilibus malis) nîl nobis mali metuendum. Conf. Pl. 91: 13.
 Esaj. 11: 6. Marc. 18: 16. Tum ita docemur, Christum sortem eâ
 quæ Protoplastis in Paradiso contigerat, tristiolem expertum. Deus
 omnes bestias agri ad Adamum adduxit, quò nomen eis imponeret.
 Quid si Satan, jam feris abusus sit, ut earum numero, diritate, trucibus
 oculis, rugitu terribili &c. Christum consternaret: nil tamen promo-
 vens, quàm ut Christus constantiam, (quemadmodum Adamus ὀνομα-
 θεσίᾳ, sapientiam) declararet: Omnibusque palàm faceret, dominium
 in Creaturas Dei, Adami *primi* Rebellionem ab eo & posteris amissum,
secundi obsequio, Filiis Dei restitutum esse? Fiduciamque inspiraret,
 Deum πάντοτε θεσπιβεύειν *semper triumphare per nos in Christo.* 2.
 Cor. 2: 14.?

XXXIII. Impudenter, quin impiè Smalcus *de divinit. Christi*
 Cap. 4. scribit: *Et hoc ad modum quo Christus ad munus suum Prophe-*
ticum initiatus fuit, pertinet, quòd non ut alii ante eum Prophetæ, & ipse *de Christi*
Moses, per Angelos, aut visiones, id quòd alios docuit, edoctus fuit: sed *de Christi*
 ipse præsens, homo jam natus, Patrem suum vidit, & ab eo edoctus fuit *de Christi*
 omnia, quæ deinde nobis exposuit &c. Quòd ad tempus attinet, planè
 D 2 *veri-*

verisimile illud tunc temporis factum esse, cum Dominus Jesus jam baptizatus & Spiritu S. donatus quidem esset, munus verò suum nondum obire cœpisset: cum scil. quadraginta dies & totidem noctes jejunos in deserto consumpsit. Quemadmodum enim Moses tot dies & noctes, absque cibo etiam à Deo conservatus fuerat, antequam legem per eum daret: Sic credibile est, Dominum Jesum, cibo illo cœlesti, qui est commercium & conspectus Dei, ita fuisse recreatum, ut nullo alimento per totum illud tempus opus habuerit. Tunc enim credibile est, Deum Patrem suum vidisse, & ab eo doctum fuisse, quod de se utrumque Dominus predicat. Quæ si cui minùs probantur, is hoc saltem consideret, nihil à nobis affirmari hac in re, quod cum Analogia fidei Christianæ pugnet. Nobis autem, id planè se ita habere, persuasissimum est: & hoc mysterium nobis à Deo per S. Literas revelatum esse, plurimum gaudemus.

confutatur.

XXXIV. Scilicet ne doctrinæ Christi fides derogaretur, noluit Socinus, Christum inferiorem esse Muhamedo, qui inter tot splendida mendacia, quibus Alcorano, fabularum & blasphemiarum cloacæ, autoritatem conciliaturus, finxit, se aliquando mulo Alborach vectum, in septimo cœlo appulsum, per excelsa montium, nives & aquas; ad Dei solium pervenisse, ad duos ferè sagittæ jactus, Dei que faciem vidisse, septuaginta mille velis luminis cœlestis obductam. Vid. Hornbek. *Sum. Contr. p. m. 80. sqq.* Hotting. *Hist. Orient. p. 400.* Pariter Christum in conspectum Dei raptum, Sociniani persuasissimum habent. Id equidem à Deo sibi per sacras literas revelatum crepant. Non tamen Socinus in *Catech.* abnuat, tum Evangelistas Adscensûs hujus Christi nullam mentionem fecisse: tum sententiam novam & Majoribus nostris fortassis inauditam esse. Smalcio planè verisimile est, Christum ita raptum cum in deserto jejunaret: At Volkelius de *Ver. Rel. III. 5.* quo, ait, tempore, hæc evenerint affirmare non possumus. Nos affirmare possumus, verò dissimillimum, imò à vero remotissimum esse, quòd Christus quadraginta dierum illorum intervallo, in conspectum Dei raptus fuerit. Quorsum, instructionis causâ, ex deserto, in cœlum rapi eum, qui antequam desertum ingrederetur, plenus fuit Spiritu S.? Nec verò tantùm in desertum, à Spiritu actus dicitur: Sed ἦν ἐκεῖ ἐν τῇ ἐρήμῳ, Erat, mansit illic: Ubi? in deserto: Quamdiu? Diebus quadraginta. Nec tergiverfatur Crellius, de raptu hoc

hoc (*comment. in h. l.*) pisce magis mutus. Ergo non ex deserto in cœ-
 lum traductus. Neque hujusmodi institutionem divinam in de-
 deserto accepit. Nam præterquam, quòd in desertum subductus fuit,
 non quòd à Deo erudiretur, & tabulas fiduciaras acciperet: Sed quò
tentaretur à Diabolo, Matth. 4: 1. Spiritus S. Ecclesiam adversus im-
 pudentiam hæreticorum, cujus præsciis erat, muniturus, ordine &
 cum cura, tum tentationes durantibus & finitis quadraginta diebus
 Christo objectas, tum jejunium & alia, quæ ei evenerunt, explicat:
 Ut propudiosissimo commento locus esse nequeat, eique nil nisi ludi-
 brium debeat. Porro Spiritus S. memorat Christum à Satana as-
 sumptum in montem, & pinnam templi. Quidnî etiam narravisset ejus
 assumptionem à Deo in cœlum, si aliqua contigisset? Cùm Moïsis (quem
 tamen, ad colloquendum cum Deo, *raptum* esse, in Scriptura minimè
 legimus) & Christi officium & persona, longissimo intervallo discri-
 minentur, eos in eundem censum compingi nefas est. Affirmant, *nihil*
in hac re cum Analogia Fidei pugnare. Imò, inquam, totum commentum
 quid est, nisi aries & machina infernalis, quâ fidem semel Sanctis
 traditam funditus evertere satagunt? Scripturâ enim toties inculcan-
 te, Christum antequam in carne humili inter homines habitaret,
apud Deum, in sinu Patris, in cœlo fuisse, *Patrem vidisse, audivisse, à*
Patre exivisse, de cœlo descendisse, &c. hæc quia Socini schola, cum
 reliqua Ecclesia Christiana, de æterna & vera Christi divinitate,
 cui impium bellum indixit, interpretari non vult, fingit, Chri-
 stum, postquam homo natus esset, semel aut pluries in cœlum ascen-
 disse, quòd à Deo erudiretur. Quæ omnia ut pessimi commatis sint,
 pluribus dicere superfedemus: contenti ostendisse, hoc Socini com-
 mentum ad historiam Christi in deserto tentati non pertinere, imò
 adversâ fronte cum ea concurrere.

XXXV. Probabilius multò est, quod Harmoniæ Evangelicæ *Historiæ*
 concinnatores observant, eodem tempore quo Christus in deserto *Christi cen-*
 vixit, & à populi commercio abstinuit, Johannem testimonium suum *tasi, nexas*
 de Christo edidisse, Joh. 1: 15. seqq. Pleniusque confirmâsse, cùm *cum Joh,*
 Christum à tentatione ad locum quo baptizabatur, redeuntem con- *1: 15. seqq.*
 spiceret, Joh. 1: 28. seqq. Unde, ex Clariss. Ligfoti calculo,
 Evangelistæ historiam inde à Baptismo Christi ad ejusdem usque re-
 ditum in Galilæam: adeoque (judice eodem Ligfottho) eorum quæ à
 medio

2

2

12.

14.

15.

medio circiter Novembr. ad finem Novembr. Anni proximi, i. e. per spatium plus duodecim mersum, Christus fecisset (exceptâ hâc Christi tentatione) silentio involverint. Vid. Ligtfoot. oper. Tom. I. p. 379. seqq.

Christi fa-
mes.

XXXVI. Καὶ (συντελεσθεῖσιν αὐτῶν Luc. 4: 2. *finitis* quadraginta diebus) Christus autem, ὑαρον *tandem*, denique, ἐπεινασε *esurivit*. Stapletono, Christus famis aculeos sensisse videtur, etiam intra quadraginta dies: Tandem esuriisse dici, quòd illis demum finitis *esurientis instar se gesserit*. Protervè nimis. Quid clarius verbis Matthæi, *esuriisse* Christum ὑπερον, postquam quadraginta dies & noctes jejunaisset? Et Lucæ, *finitis illis*: nimirum quadraginta diebus? Procul dubio etiam Moses & Elias superato jejunio suo esuriverunt. Non tamen de his: Sed de solo Christo disertè id commemoratur. Tum quia ita munitur via ad sequentem narrationem. *Post quadraginta dies esurit, qui poterat & nunquam esurire. Sed quomodo tentaretur?* Aug. in Ps 90. Tum, quòd inculcetur veritas naturæ Christi humanæ. Ut enim Abstinencia, Christum verum Deum & vitam æternam: ita fames ejus, hominem per omnia nobis similem eum apertè declarat. Ἐπεινασε, uti Marc. 11: 12. & *Esurivit* Joh. 4: 7. 19: 28. Pariter quævis aliæ infirmitates, ceu πάθη ἀδιάελητα Christo tribuuntur. Nimirum ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, qui in similitudine hominis esse cœperat, voluit σχήματι ἐυρεθῆναι ὡς ἀνθρώπου, habitu repertiri ut homo. Phil. 2: 7. 8. Σχῆμα sonat rei alicujus conditionem externam, apparentem, omnibus expositam, quâ res vel Persona omnibus γινώσκῃ redditur. Christus voluit σχήματι reperiri ut homo, i. e. Veritatem humanitatis assumptæ demonstrare, quum non tantum imperfectiones *Animales* (necessitatem edendi, dormiendis &c.) Sed etiam *Affectus Pœnales* assumpsit. Ad Filii Dei ergo incarnati & exinaniti σχῆμα inprimis pertinent, fames, sitis, lassitudo, quæ & similia evincunt eum non utcumque fuisse, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων: Sed factum esse ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἀμαρτίας, Rom. 8: 3. non in pictura hominum ut Marcion somniavit, nec eâ naturæ integritate, qualis Protoplastis data ante lapsum, & nobis continget in Gloria: Sed in statu *carnis peccati*, i. e. cum infirmitatibus, quibus caro per peccatum obnoxia


noxia reddita est: solo excepto peccato. Eâdem operâ, five nominis sui glorificandi five Fidei explorandæ causâ fame tentatis, fiduciam inspirat, quod tristi illâ conditione, imagine Filii Dei conformentur. Rom. 8: 29. Cumque Satan nunquam irrequietior & molestior piis sit, quàm quum egestatis alteriusve mali, quo à Deo castigantur, sensu teneriùs, afficiuntur, spe certâ se lactare possunt, quòd Christus, quippe in eadem Palæstra exercitatus, & similiter illis tentatus, eorum miseriâ afficiatur: adeòque eos in illa juvare, & ex ea liberare velit. Hebr. 4: 15.


Ad §. IV. lin. 12. Post, *necessariis*. Verissimè *Zuinglius* in *Luc. IV. Op. T. IV. p. 203*. Quum Evangelista dicit, Jesus plenus Spiritu S., debemus intelligere, Christum ipsum esse, qui det Spiritum: & hæc dicta esse, de ejus humanitate.


Ad § 17. De Panoplia Dei Eph. 6. descripta, Chemnit. *Harm. Evang.* Part. I. p. m. 206. Filius Dei suo exemplo ostendit artificium quomodo tentatio repellenda & superanda sit. Semper opponit Scripturam, quod diligenter observandum est. Paulus enim ex hac observatione, militem Christianum, contra insidias & ignita tela Diaboli eum instruens, pulcherrimè depingit, juxta rationem veteris armaturæ, Eph. 6: 13. Et ostendit virtutem hanc Scripturæ, non consistere in literis & syllabis, sed in vera usurpatione & accommodatione verbi Dei. *Θώραξ* autem (lorica) tegens partes à pectore ad umbilicum, est justitia gratuita, fide in promissione apprehensa & applicata. *Ζώνη* (cingulum) vocatur ab umbilico usque ad genua, & est veritas, quâ persuasi, id quod fides in remissione accepit, & deinde sperat, firmiter retinemus, & de eo non dubitamus. *Κνημίδες* (ocrea) tegunt Pedes: & huic parti Paulus tribuit Evangelium pacis, quod præparat, ne vel detrectemus certamina ineunda, vel ne in certaminibus genua labascant & deficient. Caput induitur galeâ salutis: dextra tenet gladium Spiritûs, qui est Verbum Dei: Sinistra gerit scutum fidei, quo omnia tela excipit & propulsat. Hæc pictura ad exemplar filii Dei, in hac Historia à Paulo formata, & ad usum nostrum accommodata, huc referenda & diligenter consideranda est,

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.


Main body of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.











the scale towards document

❧ (47) ❧

plura circa hanc materiam tractata recognoscere
eter modo laudatam Harmoniam Chemnitio-Ly-
& B. HILDEBRANDI A CANSTEIN Harmoni-
. 653-660. Io. Casp. SVICERI Thef. Eccles. par-
p-713. ISAACICASAVBONI Exercitat. Anti-Ba-
XII. p. 309-389. cum IAC. CAPPELLI Vindiciis
em ERASMI & IO. PISCATORIS adnotationes,
VTII Comment. ad h. l. B. Aegid. HVNNII tra-
cclesia p. m. 233-250. B. Seb. SCHMIDII Petrum
p. 107-147. Io. COCCII Operum tom. IV. p. 29.
is nobis *ὁμολογῆσθαι* est, B. Abrah. CALOVII Vin-
duerfus Hug. GROTHII corruptelas, item plures
ristoph. WOLFIO in Curis philol. crit. ad h. l.
e qq. adlegatos, præfertim *Eliam du Pin* &
Ioannem *Launoium*, commen-
damus.

ὁ δὲ τῶ θεῶ ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγῆτω αὐτῆ δωρεᾶ!

MIO AC PRAESTANTISSIMO
IVVENI,
NI GEORGIO WILLIO
M IN CHRISTO PLVRIMAM DICIT
PRAESES.

gis, CARISSIME WILLI, quod, dum abi-
x academia nostra meditaris, rationem stu-
m specimine quodam publico recepto mo-
on neglexisti. Isto enim documento osten-
vlla molestia mea in ædibus meis, ita non
florentissima academia, per triennium &
te. Dum vero materiam ad disputandam
umenti, vt fatis ardui hodieque scitu neces-
farii,